



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quòd ad Iouinianum vndique episcopi concurrebant, singuli sperantes
eum ad fidem suam se traducturos. Cap. XX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

*Quòd ad Iouinianum vndique episcopi concurre-
bant, singuli sperantes cum ad fidem suam se
traducturos. CAP. XX.*

Imperatore Iouiano ex Perfide reuerso, tumultus in ecclesiis de integro excitatus est. Episcopi autem, dum singuli Imperatorem suæ ipsorum fidei assensurum expectarent, alius alium præuerrere contenderunt. Imperator, quoniam perpetuò fidei Consubstantialis adhæserat, omnibus respondet, se eam prælaturum: perque literas Athanasium Alexandria episcopum bono animo esse iubet. Qui statim post occasum Iuliani, ecclesia Alexandria denuò potitus est. Quo quidem tempore literis confirmatus Imperatoris, omni penitus metu liberatus est. Porro Imperator episcopos à Constantio relegatos, & à Iuliano nondum suis ipsorum sedibus restitutos, reuocauit. Sub idem tempus omnia gentilium delubra occlusa fuere: Gentiles ipsi alij aliis in locis se occultare: qui autem pallia gestabant, pallia deponere, & communi vsitatoque habitu uti cœperunt. Cruenta illa & scelerata sacrificia, quorum labe se palam contaminabant, & quibus regnante Iuliano, se exsaturauerant, omnino fuere sublata.

*Quòd qui Macedonij sententiam propugnabant,
& qui Antiochia conuenerant, Acacy fautores,
Nicanam fidem corroborauerunt.*

CAP. XXI.

Verum Christianorum res non adhuc pacatæ tranquillæque fuerunt. Nam qui diuersæ religionis factionibus præerant, Imperatorem adeunt, rati sibi liberam ab eo potestatem permitti contra aduersarios pro arbitratu dimicandi. Ac primum, qui Macedoniani appellabantur, libellum illi offerunt, postulantque, ut qui filium patri dissimilem asseuerabant, ij ab ecclesia eijcerentur, ipsique in eorum sufficerentur loca. Huius verò supplicis libelli authores fuere, Basilus Ancyra episcopus: Siluanus, Tarfi: Sophronius, Pompeiopolis: Pasinicus, Zenorum: Comanorum, Leontius: Gallocrates, Claudiopolis: Gastabalorum denique Theophilus. Imperator ácepto eorum libello, ipsos absque

N 5 responso